

AN MORIENTIBUS SIT INDICENDA POENITENTIA SUB QUANTITATE TEMPORIS.

QUÆSTIO VII.

DE tempore verò satisfactionis, an sit imponendum Morituris, ita diffinit

I. THEODORUS Cantuariensis Archiepiscopus in Penitentiali suo. [c. an. 680. in Anglia.]

In periculo constitutis, penitentia quantitas non est imponenda, sed innotescenda.

Ab infirmis a in periculo mortis positus per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas penitentia, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & elemosinarum studiis pondus penitentia sublevandum, & si forte migraverint, ne obligati à communiōe, & confortio venia fiant alieni. A quo periculo si divinitus ereptus convalescit, penitentia modum à Sacerdote sibi impositum diligenter observet: & ideo secundum auctoritatem Canonica, ne illis janua pietatis clausa videatur; orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctio olei inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum, communiōe Viatici reficiantur.

ALIIS verò pro qualitate peccati, & Præsidentium arbitrio tempora penitentia decernenda sunt. Unde

II. LEO Papa I. Epist. 77. ad Nicolaum Episcopum, c. 6. [an. 458. Romæ in Venetiam.]

Præsidentium arbitrio præstantur tempora penitentia.

Tempora d penitentia habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout converforum animos perpexeris esse devotos: pariter etiam habens ætatis senilis intuitum, & periculum quorumque, aut ægritudinis respiciens necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur; ut, dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur; oportet ei per Sacerdotalem necessitudinem communionis gratia subveniri. [CORR. ROM.] In Epistola, & apud Burchardum & Ivonem hæc antecedunt: His verò, de quibus Dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum Baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traditi, & nunc se contra Catholicam fidei sacramentum egisse agnoscunt; ea custodienda est moderatio, quâ in societatem nostram non nisi per penitentiam remedium, & per impositionem Episcopalis manû, communionis recipiant unitatem: temporis penitentia habita moderatione tuo constituenda iudicio, prout, &c.

III. Item NICOLAUS Papa 2. [c. an. 864. Romæ in Galliam.]

Et qualitas criminis, & contritio penitentium in satisfactione imponenda à Sacerdote consideretur.

DE his verò, qui pro criminibus penitentiam egerunt, & ad cingulum militiæ revertuntur, constat eos contra sacras Regulas agere. Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibetque alios horum propter nimiam heberudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad Paganos fugisse; tibi hoc committimus decernendum, nimirum, qui loca, & tempora Religionis, & illius, & modum culpæ, nec non & penitentiam, & gemitus hominum ad confessionem venientium præsens potius inspicere valeas. [CORR. ROM.] V. C. Radulfo Bituricensi. Egerunt. V. C. legerunt. Tempora Religionis. V. C. tempus regionis.

IV. Item EX CONCILIO LAODICENSIS, c. 2. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.]

De eodem.

His, qui à diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & oratione, confessione, ac penitentia malorum suorum perfectam conversionem demonstrant, pro qualitate peccati, penitentia tempus attribuendum est, propter misericordiam, & bonitatem Dei. Qui ergo huiusmodi sunt; revocandi, & ad communionem sunt applicandi.

[CORR. ROM. a Oratione.] hæc præscriptio, quod Dionysius vertit, & perseverantes in oratione confessionis, & penitentia: cuius versio propius accedit ad verba Græca, etiam in ceteris huiusmodi Capitulis partibus, quam præca: quamvis in hac etiam, sententia confert.

[PITH. a Oratione, confessio, ac penitentia.] V. C. insistant orationi Confessione, & penitentia. Et perseverantes. Præca versio, quâ usus est Gratianus, & insistentes, &c.

V. Item EX CONCILIO CARTHAGINENSIS III. c. 3. [an. 397. in Africa.]

Episcopi arbitrio pro qualitate peccati penitentia tempora distribuuntur.

POenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio penitentia tempora decernantur.

VI. Item EX CONCILIO CARTHAGINENSIS IV. c. 74. [an. 398. in Africa.]

Sine personarum acceptione imploranti penitentia detur.

Sacerdos penitentiam imploranti absque personarum acceptione penitentiam secundum Leges injungat.

1. Negligentes vero penitentes tardius reconcilientur. 2. Omni autem tempore jejunii manus Penitentibus à Sacerdotibus imponantur. 3. Diebus autem remissionis Penitentes genua flectant, & mortuos in Ecclesia afferant, & sepeliant. 4. Die autem Dominico non jejunent. Nam qui Dominico die studiose jejunt, non creditur esse Catholicus. 5. Penitentes vero, qui leges penitentia attendunt exequuntur, si casu in itinere, vel in mari fuerint mortui, ubi eis subveniri non potest, memoria eorum & oblationibus, & orationibus commendentur.

[CORR. ROM. a In Ecclesiam.] In recentiore Colonienſi Conciliorum editione legitur, Ecclesie afferant. In antiquioribus verò editionibus, & duobus Vaticanis codicibus sic habet integer locus, mortuos Ecclesie Penitentes afferant, & sepeliant.

Die autem Dominico. Pro his usque ad vocem, Catholicus, in can. 64. hæc leguntur, Qui Dominico die studiose jejunt, non creditur Catholicus.

[PITH. a In Ecclesiam.] Concil. Carthag. IV. c. 80. Memoria eorum.] Concil. Tolet. XI. c. 12.

VII. Unde in OCTAVA SYNODO legitur. [imò in Regul. Brevioribus B. Basilii, c. 106. c. an. 371. in Ponto.]

Tempus penitentia pro qualitate peccati imponatur.

PRO qualitate delicti tempus penitentia imponatur.

[CORR. ROM.] Videri potest sumptum ex Regulis brevioribus B. Basilii, c. 106. quod notatum alibi est evenire in iis capitibus, quæ ex octava Synodo citantur.

VIII. Item [imò ex eod. B. Basilii de Institut. Monachorum, c. 90. c. an. 371. ibid.]

Tempus, & modus penitendi delinquentibus, Præsidentium imponatur iudicio.

HOc sit in iudicio positum eorum, qui præsumunt, vel quanto tempore, vel quali modo poenitere debeant, qui delinquant: quia ætas, & eruditio multam haberi faciunt differentiam poenæ.

[CORR. ROM.] Caput hoc habetur in libello Beati Basilii de Institutis Monachorum, Rufino interprete, c. 90. Ibi enim ultima interrogatio est hæc, Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum, qui delinquant? Responſio. Hoc sit in iudicio positum eorum, qui præsumunt, vel quanto, &c. Itaque ex interrogatione, & responſione confectum est hoc Caput; sicut & duo sequentia, quæ apud eundem Rufinum leguntur.

Quo affectu poenitentem suscipere, & impoentem abjicere debeamus, evidenter ostenditur, cum dicitur

IX. EX EADEM SYNODO. [imò ex eod. B. Basilii, ibid. c. 24. c. an. 371. ibid.]

Intimo charitatis affectu poenitentem debemus suscipere.

POenitentem ex corde ita oportet suscipi; sicut Dominus ostendit, cum dicit, qui convocavit amicos suos, & vicinos, dicens, Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdidideram. Burchardus & Ivo citant ex dictis Basilii Episcopi, & in Regulis illius brevioribus numero 8. est sententia huiusmodi de Institutis Monachorum. Ubi secunda interrogatio sic habet: Poenitentes ex corde quomodo debent suscipi, pater? Responſio. Sicut Dominus ostendit, cum dicit, qui convocavit, &c.

X. Item. [imò ex eod. B. Basilii, ibid. c. 19. c. an. 371. ibid.]

Pœnitentes Legem Dei diligant, iniquitatem odio habeant.

Affectum illum in se recipiat poenitens, quem gerebat ille qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. sed & ea, quæ scripta sunt in sexto psalmo, atque in quampulchris alibi: sed & illa, quæ Apostolus dixit ad eos, qui secundum Deum contriti sunt. Quantam, inquit, operatum est hoc in vobis sollicitudinem, sed excusationem, sed indignationem, sed annihilationem, sed vindictam. In omnibus exhibitis vos castor a esse negorio. Sed & in his ipsis, in quibus deliquit, agens multa contraria: sicut & Zachæus fecit. [CORR. ROM.] Sententia huiusmodi est in Regulis brevioribus numero 5. Acceptum tamen videtur.

eiusdem commemorati libelli: in quo hæc est interrogatio: Quomodo quis debet poenitere in unoquoque delicto? Responſio. Affertur illum in se recipiens, quem gerebat ille qui dixit, Iniquitatem, &c. [Cassus.] Antea legebatur, castor. Emendatum est ex libello Rufini: in vulgata est, incontaminatos; Græcè, ἀγνά.

XI. Item. [imò ex eod. B. Basilii, ibid. c. 24. c. an. 371. ibid.]

Impoententes tanquam Ethnici habeantur.

ERga eum qui peccata sua non punit, tales esse debemus, sicut Dominus præcepit, dicens: Sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus: & sicut Apostolus docuit dicens: Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam tradidimus vobis. [CORR. ROM.] Hoc etiam habetur in Regulis brevioribus numero 9. In eodem vero libello c. 24. ultima interrogatio est hæc: Erga eum, qui non poenitet pro peccato, qualiter esse debemus, pater? Responſio. Sicut præcepit Dominus, dicens, Sit tibi, &c. Apud Burchardum, & Ivonem, qui hoc citant ex dictis Augustini, initium sic habet: Erga eum, qui pro peccato commisso non poenitet, tales, &c. quod magis convenit cur prædicta interrogatione, quam quomodo est apud Gratianum.

XII. Item JOHANNES CHRYSOSTOMUS, in eod. Autor Operis Imperfecti, homilia 43. ad c. 23. Matthæi. [c. an. 400.]

Melius est errare in misericordia remittendi, quam in severitate ulciscendi.

ALligant autem onera gravia, & importabilia, &c. Tales sunt nunc etiam Sacerdotes: qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicè servant; videlicet, non ut facientes sint iusti, sed ut dicentes appareant iusti. Tales sunt, & qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt: qui dicunt, & non faciunt: & sic, dum poenitentiam poenitentia fugitur; contemnunt poenitentiam futuram. Sicut enim si faciem super humeros adolescentis, quem non potest enajulare poveris; necesse habet, ut aut faciem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini, qui grave pondus poenitentia imponit; necesse est, ut poenitentiam tuam rejiciat; aut suscipiens, dum fuisse non potest, scandalizans amplius peccet. Deinde, etiam erramus modicam poenitentiam imponentes; nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim patrifamilias largus est; dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere a sanctus? circa vitam tuam esto austerus; circa alienam benignus.

[CORR. ROM. a Vis apparere.] Locupletatus est hic locus ex indicata homilia: cum antea legeretur, ut quid Sacerdos ejus austerus vult apparere.

XIII. Item MARTINUS BRACARENENSIS, c. 74. [c. an. 572. in Hispania.]

Kalendarum observationes agere non licet.

NON licet iniquas observationes agere Kalendarum, & otis vacare gentilibus; neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos: omnis enim hæc observatio Paganismi est.

XIV. Unde ZACHARIAS Papa in Concilio Romano, c. 9. [an. 743. Romæ.]

Anathema sit, qui ritum Paganorum, & Kalendarum observat.

SI quis 9 Kalendarum 1 Januarias, & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut mensis cum dapibus vel epulis in domibus preparare, & per vicos, & plateas cantiones, & choros ducere præsumpserit, quod magna iniquitas est coram Deo, anathema sit.

[CORR. ROM.] Hoc est Caput nonum in Concilio Romæ à Zacharia habito, quod asservatur in Vaticana Bibliotheca: & inde nonnulla sunt emendata, & addita. De hac autem superstitione Bonifacius legatus Germaniæ Epist. 2. quæ est in tomis Conciliorum, ad ipsum Zachariam multa scribit: cui Zacharias ultima Epistola respondens, mentionem huiusmodi Concilii videtur facere his verbis: Et quia per instigationem Diaboli iterum pulsabant, à die, quâ nos iussu Divina clementia (quamquam immeriti existamus) Apostoli vicem gerere; itic omnia hæc amputavimus. Idem prohibetur pluribus verbis in canonicis, qui sexta Synodo aservitur, c. 62. Et multa in huiusmodi superstitionem scribit Tertullianus in libro de Idololatria, & alii graves Auctores.

Vel aliquid plus novi facere propter novum annum. Hæc non sunt in codice istius Concilii Vaticano. [PITH. a Si quis.] Vide Tertullianum de Idololatria.

XV. Item AUGUSTINUS, [imò in Conc. Turon. III. c. 42. an. 813. in Gallia.]

Infirmis incantationibus hominum incantationes nihil remedii præstant.

ADmonentur Sacerdotes fideles populos, ut novierint Magicas artes, incantationes quibuslibet infirmis hominum nihil remedii posse conferre: non animalibus

languentibus, claudicantibus, vel etiam moribundis quicumque mederi: non ligaturas, vel herbarum cum quibus mortalium adhibitas prodesse: sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui hostis: quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Et si quis hæc exercuerit: Clericus degradetur; Laicus anathematizetur.

[CORR. ROM.] Caput hoc Burchardus & Ivo citant ex dictis Augustini: apud quem familia reperitur in locis allatis supra ead. q. 5. nec mirum. Sed eadem omnino verba præter ultimam clausulam leguntur in Conc. Turonensi III. c. 42. & in adjectis Capitularibus, c. 94.

Non ligaturus. Hinc usque ad verum, prodesse, sunt addita ex Concilio, & Capitularibus. Et si quis hæc. Postrema hæc tota clausula non legitur in Concilio, neque in Capitularibus, sed apud Burchardum & Ivonem.

XVI. Item AUGUSTINUS, [fortè c. an. 421. in Africa.]

Dies Ægyptiaci, & Januarii Kalendæ non sunt observandæ.

NON observentur dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendæ. Poly. l. 6.

Januarii: in quibus cantilenæ quadam, & comestiones, boni fati augurium, aut aliquos mentes, aut tempora, aut dies, & annos, aut Lunæ, Solisque cursum: quia qui hæc, & quæcumque divinationes, aut fata, aut auguria observat, aut attendit, aut consentit observantibus, inutiliter, & sine causa; magis ad sui damnationem, quam ad salutem tendit: sive qui per quosdam numeros literarum, & Lunæ, & per Pythagoricam necromantiam ægotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel adversa futura inquirent, sive qui attendunt somnialia scripta, & falso Daniëlis nomine intitulata, & fortes, quæ dicuntur sanctorum Apostolorum, & auguria avium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter conjugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pyciologia pro quibus infirmitate scripta super homines, vel animalia ponunt, præter Symbolum, & orationem Dominicam, aut Magicis salutationibus in granis, & dinariis tempestatis credunt. Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum eunt, aut suis domibus introducunt, ut interrogent; sciant se fidem Christianam, & Baptisimum prævaricasse, & ut paganum, & apostatam, id est, retrò abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei graviter in æternum incurrisse: nisi Ecclesiastica poenitentia emendatus Deo reconcilietur. Dicit enim Apostolus: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, in quo vivimus, movemur, & sumus. [CORR. ROM.] In plerisque vetustis exemplaribus est tantum, Item, & in Polycarpo etiam refertur sine Autoris nomine.

De tempore quoque observationibus scribit

XVII. AUGUSTINUS in Enchiridio, c. 79. [fortè c. an. 421. ibid.]

Grave peccatum est dies observare, vel menses, & annos.

QUI æstimaret, quàm magnum peccatum sit dies observare, & menses, & tempora (sicut observant, Ivo, p. 11. qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, & c. 19. nolunt aliquid inchoare, eò quod securandum vanas doctrinas Pann. l. 8. hominum facta, vel insauta existiment tempora); nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaveris? qui talibus ait: Timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Item super Epistolam ad Galatas, ad c. 4. Beda ibid. Ivo, p. 11. c. 15.

Intelligat lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut hinc loco subiecerit Apostolus: Timeo eos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Quod cum tanta celebritate, tantæ auctoritate per Orbem terrarum in Ecclesiis legitur; plena sunt tamen conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendam à Mathematicis accipiunt. Jam verò, ne aliquid inchoetur, aut edificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpè etiam nos monere non dubitant.

[CORR. ROM. a Encubidino.] Expunctæ sunt voces, quæ sequebantur, id est, Manuali libro. Absunt enim à vetustioribus.

Intelligat. B. Augustinus explanans ea verba Apostoli ad Gal. c. 4. Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: ipsa tam ad Gentiles, quam ad Judæos referri posse demonstrat, tuncque subjungit: Ergo eligat lector, utrum volet sententiam, an modo intelligat ad tantum, &c.

XVIII. Item HIERONYMUS, [fortè c. an. 400.]

Sine incantatione herbas, vel petras licet habere.

EMonium sustinenti licet petras, vel herbas habere sine incantatione. [CORR. ROM.] Burchardus etiam, & Ivo citant ex dictis Hieronymi, sed Polycarpus Autorem non nominat. Poly. l. 6. Burch. l. 10. Ivo, p. 11. c. 75.